Joseph. Scal. Gothofredo Jungermano suo S. Laudo omnes conatus, qui ad rem literariam promovendam conferuntur. Et quum eiusmodi sit tuus in Longo interpretando, noli dubitare, an talis opera mihi probari debeat. Sed amicus quidam noster, ut audio (nam ille nihil tale ad nos scripsit), adornat editionem τῶν ἐρωτικῶν, ~~et~~ ~~per~~sertim Achillis Tatii, quem integrum dabit. Scis enim ei multa deesse. Si ~~illum~~ Longum Latine loquentem dabis, non dubito, quin a studiosis magnam gratiam initurus sis. Quod autem de illis praetextatis verbis, vel libertate, qua aliquando ludit, quaeris, ego nihil pronuncio, quum sciam diversa hominum iudicia esse: quibus pro te nihil aliud potes respondere, quam qui Graece vulgus legit et intelligit, eam se Latine et alia lingua legere, nullam esse invidiam. Ung; in hoc non alienum, sed tuum iudicium melius est te sequi. Certe auctor est amoenissimus, et character eo melior, quo simplicior, ἡ ἀνεπιτήδευτος [illegible]. Tu videbis. Vale. Lugduni Batavorum 7. Kal. Sextilis Iuliani. CIↃ. IↃ. CIII

Ornatiſsimo iuueni

Gothofredo Iungermanno

Lipſiam.